



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

**Dript, Laurentius a**

**Paderbornae, 1672**

18. Superfluum non est, quod servant homines pro status sui, vel parentum qualitate habità, vel adipiscendà: ideoque vix poterunt inter saeculares inveniri, qui superfluum habeant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13441**

pinionem nostram ad Eleemosynam, quæ  
do tantum tenetur de superfluo status: sed  
absurditatem hujus opinionis advertens  
*Schola Theologica Lovaniensis Anno 1657*  
censuravit illam, quæ sequitur.

### PROPOSITIO XVIII.

*Superfluum non est, quod servant homi-  
nes pro status sui, vel parentum quali-  
tate habita vel adipiscenda, ideoque  
vix poterunt inter seculares inveniri,  
qui superfluum habeant.*

35. **E**Cce quo loco apud hos Autores sine  
paupe es ut illis quodammodo omnia  
media vivendi subtrahere conentur: sed vi-  
deant, ne illi contra se licentiam in gravi eti-  
am necessitate furandi concessam usurpent,  
& quod ex misericordia adipisci nequeunt,  
propriâ autoritate tanquam suum tollant,  
cogitent etiam, quod sibi fieri vellent, si &  
ipsi indigentes essent, an non longe tunc  
litter sentirent, improbarentque illam ab  
alio

alio sibi consentiente Authore confessarijs datam instructionem: *Confessarius* inquit *is* *absolutionem à peccatis diviti negare facile non debet, quod communes pauperum miserias per Eleemosynam sublevare monitus recuset. Tum quia de obligatione hac, an & qualis sit Doctores dissentiunt: tum quia dives semper aliquã causam in specie præferat, cur recuset.*

36. Miratur quandoque intellectus humanus statum hujus vitæ considerans, dum probissimos in summa egestate vivere, & iniquos sæpe delitijs, omniumq; rerum abundantia affluere videt: Sed causam illius dat *S. Augustinus hom. 13. inter 50. Quando facit Deus pauperes, ait probat divites, sicut scriptũ est: Pauper & dives occurrerunt sibi, ubi sibi occurrerunt? in hac vitã: natus est ille, natus est & ille, invenerunt se occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus: divitem unde pauperem adjuvaret, pauperem unde divitem probaret. Pro Viribus suis unusquisq; faciat, non sic faciat, ut ipse patiat angustias: non hoc dicimus: superflua necessaria sunt aliis: hinc est illa sapientis ad divites exhortatio Eccl. 42. & seq. Animam esurientem ne despexeris,*

& ne

Et ne exasperes pauperem in inopia sua: cor in-  
 opis ne afflixeris, & non protrahas datum ar-  
 gustianti maledicentis enim tibi in amaritudi-  
 ne animæ exaudietur deprecatio illius: exaudi-  
 et autem eum, qui fecit illum.

37. Quod si divites considerarent non  
 sua esse, sed Dei dona, quæ habent & ad sub-  
 levandum proximum in necessitate existen-  
 tem collata: faciliores ad Eleemosynas es-  
 sent, cum qui libet de alieno facile sit libera-  
 lis: Ille ait S. Augustinus serm. 15. de divers. c. 1.  
 qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur  
 de suo facere, ne forte non tam confirmetur  
 misericordie nomine, quam inflatur superbia  
 vanitate. Meum est inquit Deus aurum, me-  
 um est argentum, non vestrum o divites terre,  
 quid ergo dubitatis dare pauperi de meo, aut  
 quid extollimini cum datis de meo. Quibus  
 accedit, quod etiam Christus sibi ipsi factum  
 censeat, & pro inope cui Eleemosyna datur,  
 debitorem se constituat: quamdiu inquit  
 Matth. 25. uni ex minimis meis fecistis mihi  
 fecistis, quomodo ait ad hæc Cyprianus tract. de  
 opere & Eleem. magis potuit iustitia & mis-  
 ricordie nostra opera provocare, quam quod  
 prestari

præstari sibi dixit, quidquid egenti præstatur & pauperi, ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur.

38. Novum tamen modum absque ullo sui detrimento succurrendi pauperi, adinventum Neoterici: cum enim jam docuissent non teneri aliquem de superfluis succurrere egentibus: ne tamen omnino illos desolatos relinquant, & quidem in extrema necessitate volunt illis per mutuuum subvenire ratione cujus sit.

## PROPOSITIO XIX.

*Sufficit extreme indigentibus per mutuuum subvenire sub conditione, ut tempore lautioris fortune restituant.*

Quia pergit Assertor: si egenus sublevatur quocunque modo, impletur præceptum: quod tanta confidentia profertur, quali oraculum esset, cum piaculum sit, sed longe aliter, & melius ipsa veritas: *mutuuum* inquit